Stanislaus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae, Czerniechoviaeque.

Significamus praesentibus Literis Nostris, quorum interest, universis et singulis. Consensisse Nos et permisisse, consentireque ac permittere Generoso Ignatio Laszczynski, Thesaurario Terrae Vschovensis, ut possit et valeat de omni et integro Jure suo Emphiteutico, quod ipsi super Villam Gzowice, cum attinentiis, in Palatinatu Sandomiriensi, et Districtu Radomiensi, sitam, vigore Consensus Nostri die tertia Mensis Augusti Anno 1780. datuati, servit et competit, cedere, illudque in personam Generosi Josephi Jabłkowski Camerarii Nostri transferre et transfundere. Quae quidem Cessio, Jurisque Transfusio, posteaquam coram Actis quibusvis authenticis Regni facta et recognita fuerit, Nos eam ratham et gratam habituri sumus, uti eam, quae praevio hocce Consensu Nostro peragetur. Vigore cujus Cessionis, Jurisque Transfusionis, in virtute praesentis Consensus Nostri factae, dictam Villam Gzowice, cum omnibus attinentiis, Villis, praediis, agris, pratis, campis, sylvis, borris, gajis, nemoribus, stagnis, piscinis, lacubus, fluviis, fluminibus, braxatoriis, tabernis, Molendinis, subditis, eorumque laboribus, censibus, datiis, commodis et emolumentis, cunctis denique attinentiis et pertinentiis, ad dictam Villam spectantibus, nullis penitus exceptis, sed ita late, longe, et circumferentialiter, prout Generosus Vincentius Modzelewski, vigore Diplomatis Nostri die 18. Mensis Octobris, Anno 1782. datuati habuit, ubi in possessionem Emphiteuticam dictam Villam Gzowice dimisam, et prout Generosus Joannes Kempinski antecessor, tum quoque Generosus Ignatius Laszczynski immediatus possessor, tenebat, habebat et possidebat, praefatus quoque Generosus Josephus Jabłkowski, jure Emphiteutico, ad exbinium Quinquaginta Annorum, a data Diplomatis Nostri superius expressi computandorum, tenebit, habebit et possidebit, itaque sub iis conditionibus specialibus, Constitutione Anni 1775 praecautis, ut quatuor quartas, sive Proventum ultimaria Lustratione eductum, ad Thesaurum Regni Nostri quotannis, binis temporum Rathis, importet, debitis praefatam Villam non inoneret, neque sine Consensu Nostro ipsam in alium quempiam alienet. Caeterum promittimus pro Nobis, Serenissimisque Successoribus Nostris, non esse Nos, Serenissimosque Successores Nostros, ab eodem Jure Emphiteutico praefatum Generosum Josephum Jabłkowski, ejusque Successores et Succedaneos amoturos, neque amovendi potestatem cuipiam daturos, sed salvum et integrum Jus Emphiteuticum, ad exbinium Quinquaginta Annorum conservaturos, Juribus Nostris Regalibus, Reipublicae, Ecclesiaeque Romano Catholicae salvis manentibus. In quorum fidem, praesentes Manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni communiri Jussimus. Datum Varsaviae, die VIII Mensis Julii Anno Domini MDCCXCI. Regni vero Nostri XXVII. Anno.

Stanislaus Augustus Rex

Libro 2do Pag. 36. Nro 74.

In Radom in posessione oblatorum Terrestrium
Die 13 Mensis Martii Anno Domini 1797
Privilegii praesentis interessi Oblata —
Nestor Petrus Wolski

Consensus ad cedendum de Jure Emphiteutico super Villam Gzowice cum attinentiis, in Palatinatu Sandomiriensi sitam, Generoso Ignatio Laszczynski Thesaurario Terrae Vschovensis, in personam Generosi Josephi Jabłkowski Camerarii S. R. M.tis datur.

Ignatius Taniszewski Sigilli Majoris Regni Secretarius

N^ro 29

Gzowice

Cancellariatu
Illustrissimi Excellentissimi Domini Domini
Hyacynthi Comitis Nałęcz à Małachowice
Małachowski
Supremi Regni Cancellarii Radoszycensis
Srzedecensis Sannicensis &c. Capitanei
Sigillatum
est in Act.

538